

Tē meus ante omnēs genitor dīlēxit, et orbe  
 in mediō positī caruērunt praeside Delphī,  
 dum deus *Ēurōtān* inmūnītamque frequentat  
 170 Spartēn, nec citharae nec sunt in honōre sagittae:  
 inmemor ipse suī nōn rētia ferre recūsāt,  
 nōn tenuisse canēs, nōn per iuga montis inīquī  
 ire comes, longāque alit adsuētūdine flammās.  
 Iamque ferē medius Tītān venientis et āctae  
 175 noctis erat spatiōque parī distābat utrimque,  
 corpora veste levant et sūcō pinguis olīvī  
 splendēscunt lātīque ineunt certāmina discī.  
 Quem prius āeriās lībrātum Phoebus in aurās  
 mīsīt et oppositās disiēcīt pondere nūbēs;  
 180 reccidit in solidam longō post tempore terram  
 pondus et exhibuit iūctam cum vīribus artem.  
 Prōtinus inprūdēns āctusque cupīdine lūsūs  
 tollere Taenaridēs orbem properābat, at illum  
 dūra repercussō subiēcīt verbere tellūs  
 185 in vultūs, Hyacinthe, tuōs. Expalluit aequē  
 quam puer ipse deus conlāpsōsque excipit artūs,  
 et modo tē refovet, modo trīstia vulnera siccāt,  
 nunc animam admōtīs fugientem sustinet herbīs.  
 Nīl prōsunt artēs: erat inmedicābile vulnus.  
 190 Ut, sīquis violās rigidumve papāver in hortō  
 līliaque īnfringat fulvīs horrentia linguīs,  
 marcida dēmittant subitō caput illa viētum  
 nec sē sustineant spectentque cacūmine terram:  
 sīc vultus moriēns iacet et dēfecta vigōre  
 195 ipsa sibi est onerī cervīx umerōque recumbit.  
 ‘Lāberis, Oebalidē, prīmā fraudāte iuventā,’  
 Phoebus ait ‘videōque tuum, mea crīmina, vulnus.  
 Tū dolor es facinusque meum: mea dextera lētō  
 īnscrībenda tuō est. Ego sum tibi fūneris auctor.  
 200 Quae mea culpa tamen, nisi sī lūsisse vocārī  
 culpa potest, nisi culpa potest et amāsse vocārī?  
 Atque utinam tēcumque morī vītamque licēret  
 reddere! Quod quoniam fātālī lēge tenēmur,  
 semper eris mēcum memorīque haerēbis in ōre.

- 205 Tē lyra pulsa manū, tē carmina nostra sonābunt,  
flōsque novus scrīptō gemitūs imitābere nostrōs.  
Tempus et illud erit, quō sē fortissimus hērōs  
addat in hunc flōrem foliōque legātur eōdem.’  
Tālia dum vērō memorantur Apollinis ōre,  
210 ecce cruor, quī fūsus humō sīgnaverat herbās,  
dēsinit esse cruor, Tyriōque nitentior ostrō  
flōs oritur fōrmamque capit, quam līlia, sī nōn  
purpureus color hīs, argenteus esset in illīs.  
Nōn satis hoc Phoebō est (is enim fuit auctor honōris):  
215 ipse suōs gemitus foliīs īnscrībit, et AI AI  
flōs habet īnscrīptum, fūnestaque littera ducta est.  
Nec genuisse pudet Spartēn Hyacinthon: honorque  
dūrat in hoc<sup>c</sup> aevī, celebrandaque mōre priōrum  
annua praelātā redeunt Hyacinthia pompā.